...cobus M. D.

...cs Pernussi Hedvigis

Krasowski Heliae Joannis. Panegyris vinculi coniugalis in solenni die nuptiarum dedicata.

PANEGYRIS
Vinculi Coniugalis
In Solenni die Nuptiarum

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

D. IACOBO REINEKKERO

Medicinæ Doctori,

ET

ORNATISSIMÆ SPONSÆ

HEDVIGI

Nobilis & honorati Domini,

D. IOANNIS PERNVSII

Senioris Scabini Cracouienſis

Dilectæ Filiæ.

AB HELIA JOANNE KRASOWSKI,

Almæ Academiæ Cracouienſis Studioſo,

Cum humili affectùs teſtificatione

DEDICATA.

Anno à Partu Virginis 1655.

CRACOVIÆ,

Apud Viduam & Hæredes Andreæ Petric: S. R. M. Typog.

Ædificatio Ciuitatis, confirmat nomen, & super hanc Mulier immaculata, computabitur. *Eccl: 43.*

Ego M. MATTHÆVS KRASNICKI S. Th. Doctor, Ecclesiæ S. Nicolai Præpositus, Academiæ Cracouiensis generalis RECTOR Panegyrim HELIÆ KRASOWSKI, Studiosi eiusdem Almæ Academiæ Crac: dignam prælo iudicaui.

SPONSO
&
SPONSÆ
Auctor felicitatem.

CVM viderem multos Nuptiales aliorum thoedas planè quotidianâ varietate carminum prosequi, neq; vllam Coniugiorum Solennitatem superesse, cui se cum festiuis laudationibus Musæ non immisceant; mihi placuit & Apollini & Mercurio litare, vt nec Mercurius sine Lyrâ Apollinis, & Apollo sine Mercurij facundiâ vestris adessent choris; si enim in cœlo, vt Astrologorum sententia est proximam habent secum viciniam, quidni in hâc Sphærâ meæ gratulationis idem decurrant spatium? laudes hic Coniugalis amicitiæ vobis propono SPONSI ORNATISSIMI, *vt, quantum pondus apud vos debeat esse amicitiæ cognoscatis, & meritò? non enim viles è plebe homines, sed ipsos reges, non rudes aliquos & in tenebris ignorantiæ relictos, sed summos in orbe Philosophos suæ amplitudinis habuit Oratores & cultores: eo loco fuit apud Alphonsum Aragoniæ Regem, vt infelicem felicitatem esse existimauerit, quæ Socium non habet, & nulli communicatam fortunam, calamitatem: audietis de ore Philosophorum quæ eius necessitas sit, ita vt eruditissimus illius æui Plutarchus non temerè asseruerit, amicitiam ignis & aquæ necessitatem superare; quod pretium? amor quippe humani generis nectar suauior gratiorq; est, quando à superiore illo amore venit, id est, honesti & boni, iam quæ sit præstantia huius pretiosi thesauri tenuis meæ Orationis cursus ostendet, accipietis itaque vtrumq; hunc laborem meum non ingrato, vt opinor animo, & tenuitatem operis, non tàm auctori quàm tempori adscribetis: arduum profectò est ingentes moles & magnifica ædificia in paruo erigere spatio? frustra & ipse Ezechiel Hierosolymam obsidionemq; eius angustiâ*

gustiâ lateris claudere tentâsset, nisi superior potentia dexteræ grande illud opus molienti suppetias tulisset? affectum potiùs & voluntatem auctoris pensate, qui etiam inter tam angustos temporis limites nihil labori, nihil sumptui parcens, opus laudationis aggressus est. Traxerunt me domestica vestra decora, quæ velut stellæ in cœlo, in vrbe hác radiant, traxerunt virtutes vnà vobiscum progeneratæ, quæ tantùm naturam vestram (quam ipsam modestia composuisse videtur) illustrant, quantùm lapides pretiosi purpuras principum vel res quas distinguunt & vsq; ad oculorum inuidiam ornant; fuerunt non paruus stimulus laudabilia Pernusianæ Domûs facinora, quorum memoria apud posteritatem viget, vigebitq; quamdiu viuent ij, ad quos fama virtutis Pernusianæ latis passibus pertinget. Eam mea quoq; cum attigit notitia silere non potui, sed vltrò quasi incitatus operi huic manum dedi; fateor quidem non eam esse gratulationem meam vt vestras laudes adæquet, non tamen infra eas est; sed quisquis est labor hic meus, non dubito vos illum magni æstimaturos, vt potè eum, qui amore imperante in medium vestri prodijt. Viuite longæuos dies, dies, quos funesta nunquam obscuret aduersitas, & hoc nobile Vinculum cedat in obsequium Dei, & Domûs Vestræ Ornamentum, ita voueo.

HELIAS KRASOWSKI,

ORA-

ORATIO.

IN hâc communis lætitiæ arenâ, atque in hoc tam nobili illustrium in vrbe virorum circulo dignitatem amicitiæ coniugalis celebrandam dum suscipio, opus impar humeris videor mihi sustentare SPONSI ORNATISSIMI, amplitudo etenim sancti huius vinculi, non me, qui recens ad fontem scientiarum Almam dico Academiam Cracouiensem, Regni nostri decus & ornamentum à quo & augusta Regum solia illustrantur, accessi; sed facundum Demosthenem postulabat: Nec immeritò; Reges hic & summa orbis sceptra moderantes; ipsos sapientiæ gloriâ illustres Philosophos sortita est laudatores; & quidem teneat principem locum princeps Philosophorum & Scholæ Peripateticæ magister Aristoteles, qui in coniunctionis vitæ voluntate amicitiam cerni, vnitatemque animorum beneuolentiæ fundamentum perpetuum non ineruditè affirmauit, & sanè, quis altissimo viri Philosophici contràeat iudicio? quod non modò rationum vis ac robur, sed omni præstantior ratione fulcit experientia? statuat, quisquis est, & qui in aliam inclinat sententiam, statuat inquam, aliud felicitatis fundamentum: vltrò se acerrimus amicitiæ defensor & Romani Senatûs Cousul offert Manlius; Nihil, inquit ille, ex semet natura creauit pectore amicitiæ maius nec rarius vnquam, quærenda itaque, vbi verò? non alibi sanè nisi in pectore? ergò in facultatibus & mole diuitiarum consistere amicitiam quisquam dixerit? sed quantum à veritatis calle is deflectat, Græci sapientis manifestum facit sententia, qui pulchriorem possessionem vel ditius ærarium non agnouit esse aliud quid amico, amicus porrò perfecta &

plena possessio,pereuntibus illis & potestati alienæ succumbentibus, sola manet: quid prodest tot reditus numerare? tot recensere fortunas? tot diuites ostentare gazas? gloriari de amplitudine dominij? si opulento huic ærario gemma amicitiæ coniugalis deest? ille appellauerit diuitem gazam, qui ignarus rerum æstimator est, aut qui pretium amicitiæ ignorat, mihi sanè diuitiæ præda sunt sine amicitiâ. quotquot mundus Crœsos habuit, in illâ rerum sufficientiâ vltrò fateri debuerant, nullum se possidere thesaurum præstantiorem hâc solâ; quibus verò humanæ prosperitatis æmula fortuna amicos negauit, ij miseros se etiam in medio diuitiarum agnouerunt, tantùm scilicet pondus amicitiæ arbitrati, vt in comparatione ipsius pretiosa mundi pondera leuis quædam pluma sint. Celebris doctrinâ Apuleius & insignis amicitiæ Encomiastes, vt magis ac magis æstimationi hominum illius naturam & secretissimas virtutes commendaret, quasi è cathedrâ lectionem amicitiæ prælecturus orditur, Qui habet amicum, habet rem dulcissimam, suauissimamque, quâ vnâ post virtutem solam, nihil melius homini in hâc vitâ, seu natura, seu casus, seu labor, seu studium dedit, si amicum inuenisti, magnas te diuitias inuenisse scias; dictum certè æterno inscribendum marmori; Quod si acutioribus ingenij oculis inuestigandum esset, proculdubio vnicuiq; pateret, quânta sit amicitiæ prærogatiua; sola nempè est, quæ post virtutem secundum tenet locum; sola, ad quam comparandam omni conatu & studio ferri debent mortales, sola thesauraria fortunarum variarumq; diuitiarum, in cuius potestate est, homines longè à fortuna proiectos, opulentos facere Cyros: verbo loquar, & torques Fabij aureus, & annulus Pyrrhi inter omnes gazas regales pretiosissimus, & Ludouici Galliarum Regis monilia summo artificio & dispendio comparata, & Claudij Imperatoris compedes, pretium mille talentorum excedentes, pretio amicitiæ cedunt; ille solum in gazophilatio Dariano inæstimabilis censebatur annulus, qui symbolum amoris incisum præseferebat: Habetis SPONSI ORNATISSIMI pretium amicitiæ; verum pro parte honorum ad certamen mecum quisquam descendet, & ijs palam supremæ felicitatis dare volet. Sed hic cum Regibus certaturus mihi

videbi-

videbitur, quis etenim meliùs vulnera, & Martiales loqui poteſt ludos? quis bellorum viciſſitudines & victoriarum aleas dicere, quàm miles? quis potentiam diuitiarum, quàm diues? quis honorum maieſtatem & excellentiam, quàm Princeps? ij tamen vel inter honores beati, & diademata, & purpuras, & ducales mitras moleſtas auguſtis verticibus ſuis ſenſerunt ſine amicitia: accedit ad laudem amicitiæ dictum Alphonſi Aragoniæ Regis, magnam partem felicitatis, in coniunctione animorum ſtatuentis; Pars, inquit, humanæ proſperitatis amicus; vltrò fateri cogor, principem hunc in excelſo collocatum eſſe ſolio, ecce tamen inter ampliſſimas Matris fortunæ delicias, tot ac tantis fauoribus & honoribus cumulatus, multum felicitati ſuæ defuturum agnoſcit, niſi ornamentum amicitiæ ſplendoribus Regijs acceſſerit; iam verò magnus ille mundi domitor & victoriarum prodigium Alexander, multis cum Dario Perſarum Rege glorioſè tranſactis certaminibus, multis vrbibus expugnatis, bellicoſiſſimis gentibus Marte proſtratis, Regnis & Regibus in triumphum ductis, & Macedonico ſceptro ſubiectis, hic, inquam, non ex eo ſe beatum dixit, quòd multos triumphos quàm quòd plures numeraret amicos, quorum vt beneuolentiam erga ſe obfirmaret, & æternum pectori ſuo Regio adiungeret, annulo quaſi quodam deſponſationis nodo vinciebat: quid Cauſæ, in Alexandro, eius in amicitiam propenſionis? norât ſcilicet magnanimus Rex eam vitæ coniunctionem, quædam eſſe præſidia firmiſſima & murum inexpugnabilem, quo, ſi quis circumſeptus non fuerit, etiam inter numeroſos exercitus ſecurus non eſt: & certè non errauit antiquitas, dum, vt exprimeret amorem pingebat loricatum, manum armatam præferentem, inſcriptione ſuperpoſitâ Semper vigilo; ingenioſâ hâc adinuentione, quid aliud deſignare voluit, niſi eum, cui fidelis & ex animi ſententiâ obtigit amicus de omni ſecuritate polliceri ſibi debere. Eninuerò non Romanis ſolùm Imperatoribus aut Regibus Macedonicis cordi fuit amicitia, & noſter VLADISLAVS IAGELLO in tanto loco poſuit iura amicitiæ, vt in ſignum reconciliationis & beneuolẽtiæ Epiſcopo Cracouiẽſi ante ſuum ex hâc vitâ diſceſſum, annulum, quem in manu geſtare ſolebat, miſerit, noluit victorioſiſ-

 ſimus

ſimus Rex in ipſo mortalitatis limine ſupremum agere diem abſq; amicitiâ, hic etiam illam deſponſare voluit, vt comes ſecum iret in ſepulchrum. Quod ſi ita eſt, quid magis in vita optandum? quid animis votiſque expetendum, quàm inter amplexus amicorum animam agere? Ergo iam & in Cathedris ſapientum & in Regum ſolijs triumphat amicitia, quæ eo auguſtior eſt, quo potentiſſimorum orbis Monarcharum laudem meretur.

Ad PERNVSIANA deſcendo decora, Domus hæc quot Maiores tot Conſules ſapientiſſimos nil obſtante inuidiâ numerare poteſt, & vt olim Senatus Romanus de Manlio, de Scipione Africano. de Fabijs, ita Senatus Cracouienſis de PERNVSIIS gratulabatur; floruit illis Conſulibus Romana Reſpublica, floruit & hæc PERNVSIIS Magiſtratum tenentibus, non pœnituit vnquam Senatum Cracouienſem quoties eos viros functionibus quibuſcunque admouit; habuit multis probatam argumentis eorum in cauſâ patriæ fidelitatem, in ferendâ ſententiâ iuſtitiam, in dirimendis difficilioribus controuerſijs non vulgarem prudentiam: vidit in PERNVSIIS non priuati boni reſpectum, ſed publicæ vtilitatis rationem: neque mihi quiſquam fictæ laudationis ſpeciem obiecerit; in vrbe loquor, in facie veſtrâ, qui teſtes PERNVSIANORVM factorũ mihi non inuiti eritis, & quod olim de Ciuibus ſuis Roma, id hodie auguſta Vrbs Cracouienſis fateri vltrò debet; PERNVSII amores Ciuium ſunt: ſed mihi quid cum cineribus, quos iam communis fati lex è conſpectu noſtro in vmbras mortalitatis non ſine luctu veſtro amici proiecit, quanquam id non immeritò facio, pertinet etenim amplitudo maiorum ad ornamentum ſecuturæ proſperitatis, vt enim maior aſtris claritas quæ in Patria ſolis commorantur, ita maior eorum ſplendor qui in Sphæra PERNVSIANA ſecundum lineam conſanguinitatis curſum gloriæ cum celebri nominis ſui famâ proſequuntur. In poſteritate itaque, vtpotè in verâ imagine ſpectare quiſque poteſt, quæ fuerit maiorum claritas, quæ amplitudo? quæ pietas? ob quam huic auguſtæ vrbi, velut quædam ſidera fulgebant; hæc, inquam naturæ ornamenta in IOANNE PERNVSIO velut in compendio quodam fa-

uor Su-

uor Superorum conclusit. In Te is laudum decor promanat DOCTOR Excellentissime, ad solem qui accedit, beneficium luminis eum necesse est experiri: PERNVSIANA decora tua sunt, nec quidquam est in ea Domo pulchritudinis, quam non in te vberiùs Fortuna transfundat; hodie enim te sanctum amicitiæ vinculū ita coniunxit, vt inde iam PERNVSIANVS sis. Sed nec tibi domestica desunt ornamenta, quæ ad cumulum reliquorum addere possis, & lucem satis amplam augere tuis: mitto plurimos è Domo Tuâ Consulari dignitate illustres Auos, Proauos, quos diu sibi præesse populus Cracouiensis magnis expetiuit votis, sed inimica ipsis honoribus mors ex ipsis iudiciorum subsellijs necessarios Reipub: viros inuidens, in suum redegit mancipium, vt doceret, eos qui leges populis dicunt, ineuitabili suæ legi subesse; has maiorum exuuias non minimè illustras Doctor Excellentissime, quidquid amplitudinis à maioribus in te deriuatur, reciprocâ claritate exanimatis eorum cineribus reddis: laudatur maiorum tuorum in iudicijs sapientia, & in Te non minorem meretur laudem digna altiori subsellio, digna magistratu prudentia, eam enim non modò in patria, sed in exteris quoque nationibus magno sudore quæsiuisti, è Lycæo Cracouiensi, cui florem ætatis consecraueras, in Romanum processisti Capitolium, vt Romani nomen sapientis apud domesticos tibi conciliares; Patauij demum Lauream Doctoratûs omnium iudicio summâ cum laude adeptus in patriam redijsti, ita videlicet Romanos splendores patrijs accumulare mens tibi erat, ne quid ad ornamentum domus REINEKKERIANæ deesse videretur: par igitur vestra SPONSI ORNATISSIMI gloria, par vtriusque præconium. Hortum PERNVSIANVM ingredi placet, in quo trinos fructus gentilitios aureis præcinctos folijs non sine oculorum suaui voluptate cerno, bonum omen DOCTOR Excellentissime; Litigatum est quondam de pomo aureo multum inuido certamine, cuinam speciosus ille deberetur fructus, post multas lites tandem in eam itum est sententiam, pulchriori vt daretur: Ad simile vocatus es certamen DOCTOR ORNATISSIME, & in hoc viridarium non ad de-

licias

licias sed in arenam quandam venisti Martialiter congressurus? ita est, ad certamen, sed suaue, quia certamen amoris; in quo Te iam feliciter victoriam adeptum triumphare video: Tibi PERNVSIANI cessêre fructus, tanquam pulchriori, Tibi folia ne victor sine palmâ aciem relinquas; hoc insuper felicior, quia non iam pomum aureum, sed triplex fructus sorte Tibi obuenit? in præmium certè triplicis victoriæ, quâ hoc solenni nuptiarum die potiris: debebantur Tibi hi fructus tum ob naturæ præstantiam, tum ob singularem doctrinam, tum ob Lauream Doctoratûs ingenti laborum dispendio Patauij acquisitam. Felix es DOCTOR ORNATISSIME, qui eam in hortis PERNVSIANIS inuenisti arborem, ex quâ non fructum modò sed vmbram etiam, sub quâ suauiter quiescas, latissimam habere potuisti; est vnde & Tibi gratuler SPONSA ORNATISSIMA, quia non alijs tractanda es manibus, quàm REINEKKERIANIS, Doctori fructus hic vtpotè naturam fructuum & foliorum benè calenti & in inuestigandis arborum virtutibus versatissimo proponendus erat, ex quo remedia & antidota, quibus varijs naturæ imperfectionibus obuiam ire velit, parare REINEKKERO licebit: sciet vmbriferam arborem, tanquam vtilem suæ lassitudini honorare; Nec immeritò; si enim vmbram quæ nos à feruido solis calore protegit, cultu quodam prosequimur, quidni vmbram hanc quæ à grauiori æstu, quàm sit solis, ab æstu inquam calamitatum seruatura est? SPONSVS amore & debito cultu veneretur?

Ad te iam vela Orationis dirigo PERNVSIE, cuius plantatione tam speciosa succreuit arbor, tua laus est, quia non sterilis, sed ornata & onerata fructibus de tuis prodit viridarijs: si pulchritudinem eius inspicere velimus? est candor liliatæ castitatis muro Diuini timoris circumuallatus, & protectione Angelicæ custodiæ circumdatus; Si purpuram, multæ pudoris virginei rosæ emicant, quem qui intuitus est, viuam in ore rosam luxuriare suspicabatur; Si viriditatem? pietas totam cingit, quâ solâ multorum affectus in se traxit; Si folia, modestia frontem coronat; Si fœcunditatem? naturæ dotes loquuntur, quibus eam parens na-

tura

tura velut ſpecioſis fructibus ditauit, nihilque in eâ eſt, quod non ad vtilitatem aut decorem PERNVSIANVM conferat; ſunt quippe ei fructus qui & maturitate præcurrunt cæteris, & decore, ita vt vel ipſe Iulius felix appellari poſſit qui tam conſpicuis fructibus nuptiales ornare potuit menſas, ſed hæc maturitas aſtrorum vt opinor, fauore conſtitit. Ex his iam SPONSE ORNATISSIME Laureato capiti tuo coronam necte, erit decor amœnæ frontis tuæ fœcundus hic circulus, ex quo æternitatem amoris non dubiè ominari, benè de fructibus polliceri debes: ſi amarum Superi porrexerint poculum, habes hic ambroſias quæ amaritudinem oblatam ſuâ dulcedine lenient, ſi ab æſtu aduerſæ fortunæ latere vis, gratiſſimam facient vmbram folia, & languentem animum ſuis recreabunt etheſijs. Ergo iam in REINEKKERIANVM tranſplantanda eſt viretum arbor, non eo inficias, fauentia ibi quoque inuenturam ſidera, pollicetur fœcunditatem Sol, ille inquam Sol, cui nec oriens, nec occaſus eſt, cuius benignitatem HEDVIGIS egregiâ ſibi conciliauit pietate, pollicentur aſtra, ornamenta videlicet animæ, nec de ſterilitate metuere iubent; aderit tranſplantandæ arbori, Diuinæ ros benedictionis, quo non poterit eſſe non fœcunda. Itaque iam in portu deſideria Veſtra ſunt SPONSI ORNAT: mea quoque ad metam properat gratulatio; hodie Sanctis amicitiæ compedibus vincti eſtis, quas nulla aduerſitas, nulla ſœuientis fortunæ tempeſtas, nulla temporum iniuria aut calamitatum vis vnquam diſſoluet; ſupereſt igitur vt Friderici Hiſpaniarum. Regis ſententiam ſuper manus coniunctas poſitam Vobis SPONSI ORNAT: ſubſcribam In ÆTERNVM; æternas Fridericus hoc ſymbolo deſignare voluit amicitias, eam æternitatem Veſtræ coniunctioni exopto, quam vel ex hoc ipſo ſanctam appellarim, quia non caſu aliquo in mundo ſunt, ſed ab auctore caſti amoris Deo originem ſortiuntur, Sacroſancta vincula, quia non ſimplici manu vt quondam Gordiana, ſed æterno verbo in Paradiſo inter primos homines inſtituta. Et PERNVSIANOS dum contemplor fructus, inter amœnitates Paradiſi videre mihi vos videor SPONSI

ORNATISSIMI; nec erraui, vbi enim deliciæ ſuauiores, vbi pulchrior amœnitas, quàm in hoc amoris Paradiſo. Ea igitur iam ſecurè fruimini amœnitate, decurrite longa florentis ætatis ſpatia, auro ornata folia auream vobis ſpondent libertatem. Reliquas laudes Muſa canit.

CARMINIS HEROICI Cithara.

Festiuæ gratulationis ergo nomine Amicorum ab Auctore proposita.

Accipe Musa chelyn; Citharâ fidibusque canoris
Huc instructa veni, namque est iustißima veræ
Causa voluptatis demißa fauore Deorum
Doctori, sponsam quando sortitur honestam,
Hanc inter pulchros horti floresque rosasque
Inuenit violam quam poßidendo triumphat.
Io, Festa dies, niueo signata lapillo,
Aurea lux, animæ? pueri intactæque puellæ,
Thura ferant Superis, & tecta foresque coronent:
Sicq; triumphales tollant ad sidera voces.
Scilicet illa dies est hæc quam sæpè petîsti,
Gloria Pieridum non vltima, Sponse, Sororum.
Ecce dies venit mæsto optatißima cordi,
Horaq; quæ castos solidè tibi præstet amores.
Hæc dat læta Deus vobis connubia. Namque
Seu largas spectetis opes & diuitis auri
Egregiam imprimis non vili pondere gazam,
Præstans seu nomen claramq; propagine gentem,
Magnum nil vobis mater natura negauit.
Vt pratis decori flos est, vt Lilia campis,
Et nunquam moriens hortis Amaranthus amœnis,
Vt segetes agris, abiesque vt florida syluis:
Sic Sponsus patriæ decus est, lausque inclita Musis.
Artibus ingenuis iuueniles imbuit annos,
Dignaque tam vigilis studij fert præmia, iure
Eximios clari Doctoris adeptus honores.
Nam patriam linquens, alio sub Sole iacentes
Lustrauit terras Sponsus: (non omnia gignit
Patria nec plantis omnis viret omnibus hortus.)

HEDVIGIS *talem cœli tibi prouidère maritum*
Quem, si facundi flueret mihi Musa Maronis,
Euehere hunc meritò terris conarer ab imis,
Ad cœli vsque domos: sed iam sat cognita laudat
Hunc virtus, patriumque solum, clarumque parentum
Nomen, & ingenuis partum decus artibus ingens.
Ergo iam Superis laudes gratesque supremas
Pectore dic toto; HEDVIGIS *Sponsumque decorum,*
Stringito perpetuis constanter amoribus: Et tu
Sortem Sponse tuam tacitis venerare triumphis,
Nam duce fortunâ talis tibi contigit Vxor:
Quam pietas moresque ornant & gratia formæ.
Scilicet apta domi huic exempla fuêre Parentes,
Ex quibus augustæ virtutis semina traxit
A teneris, confert multum informatio prima,
Nescia mens maculæ casto dum pollet odore.
Iam si virginei donum mirère pudoris,
Collatino olim Lucretia iuncta marito;
Quid loquar egregiam stirpem? quid sanguinis ortum?
Et Sponsæ prauos? quorum ardua gloria claret
Æternum, & nitidis vrbem hanc circumuolat alis?
Omnia quâ referam mihi non datur vlla facultas.
O fortunatum tam clarâ coniuge Sponsum;
Illa tibi medicina venit, tua sola voluptas;
Lux tua, deliciæque tuæ, tua cura decusque.
Te si fortè prement morbi, fluctusque dolorum,
Præsto erit hæc Coniunx blando solàtia vultu
Suppeditans; cordis tempestatesq; coercens:
Ros veluti quando morientes erigit herbas,
Et sata tollit humo, paßim cùm sirius arua
Exsiccans fragiles miserè prosternit aristas:
Sic fida HEDVIGIS *quoties sors fulmina mittet,*
Auxilio veniet, magnis lassataq; curis
Corda leuans, te res faciet sperare secundas.

Spect: Domini ANDREÆ CIENIEVII Consulis Cracouiensis Viri eruditißimi nomine.

Quid loquar innocuæ mentis vitæq; puellam?
Regia quam pulchrè virtutis purpura cingit,
Ipsa cui palmam tribuit pulcherrima Iuno

Virgi-

Virgineo illius concedit casta pudori
Penelope primas; non errant carmina vatis.
Cerne manus, oculos, crines, os, brachia cerne
Cerne etiam placidos gestus, vultumque modestum,
Digna est quam Nymphæ folijs sertisque coronent
Iungere quam stabili vinclo propriamque dicare
REINEKERE anhelas, tecum quæ secula longa
Exigat, & pulchrâ faciat te prole parentem.
Ergo tibi oblatam Cœlis dignantibus vltrò
Sortem Sponse precor Magnusq; precatur Apollo
Musarum Cœtus fidiq; precantur amici.

Generosi Domini WILHELMI ORSZETII Ciuis Cracouiensis nomine.

Summe Poli Princeps thalami cælestis origo,
Tu rege Diuino Sponsorum pectora flatu,
Vt sit firmus amor, quem non lis horrida turbet,
Horrida lis thalami, quæ fœdera frangit & angit.
Ducite felices superis ridentibus annos,
Tranquillamq; domum fœcunda prole beate,
Cernite longæuos serie cumulante, nepotes,
Qui referant Matrem flore, hinc Patremq; nitore.
Hoc precor, hoc opto superi mea vota secundent.
His si quid desit, casti Deus Autor amoris
Expleat & comulet Sponsum Sponsamque salute.

Magnificus D. IOANNES REINEKKER Sponsi Frater votiuo Carmine precatur felicitatem.

Iussit amor, iussitque fides, reuerentia iussit,
Doctor clare, boni consilijque potens.
Vt tot amicorum votis precibusque profusis
Adiungam tenui carmine & ipse meas
Et precor & voueo, Tua quo gratissima coniunx
Sit studiosa Dei, sit studiosa tui,
Et viuas, valeas castâ cum coniuge felix,
Omnipotensq; domum prole decente beet.

 Scri-

Scribere plura libet, sed nulla est hora relicta,
Sufficiant paucis nunc pia vota mea.

Insignis Viri NICOLAI PERNUSII iure consanguinitatis deuincti nomine.

Si mihi, ceu multis venam natura dedisset
Excellens Doctor, tuque colenda soror.
Quam vellem vestras, ut fas est carmine tædas,
Prosequier, vobis prospera quæque precans.
Sed cum vena vetet, doctrina & mollior ætas
Addo, quod instillat rudis Apollo mihi:
Viuat cum Sponsa Sponsus feliciter atque
Vestris non noceat sors inimica bonis,
Hoc precor hoc voueo faueant pia numina votis
Doctor clare tuis Sponsa pudica tuis.

Adest cum tenerâ Congratulatione sua
FRANCISCUS ELERT.

ELOGIVM
IACOBVS REINEKKER
Re & nomine ſimilis Tutelari,
Hic è nauiculâ
Ad gubernandam ſpiritualis Reipub: nauem euocatus
Apoſtolicâ dignitate ornatur:
Ille ex ampliſsimo Cracouieuſi Helicone
in theatrum Patauinæ Sapientiæ progreſſus
Lauream Doctoratus adipiſcitur;
Breui Cœlis annuentibus
Clauo Reipubl: Cracouienſis admouendus.
Facit ſpem futuræ amplitudinis,
Virtus modeſtiâ coronata;
Quâ velut hamo affectus & amores hominum venatur:
Ad inſtar Apoſtoli,
Qui à Seculari ad ſanctam dum acceſsit piſcationem
Animos Hiſpanienſes
Per Orientem & Occidentem
In Cæleſtis doctrinæ retia compulit.
Nec hucuſque Sanctus Piſcator ab opere ſuo ceſſat
Ecce hodie
Veſtros Sponſi animos in ſinum amoris colligit;
Felix captiuitas tanto Piſcatore;
Nec enim ad Principum, ſed cæleſtis Sponſi menſam
Sanctis inſidijs dapes parat
Bené ominor Maritalibus thœdis,

E Quibus

Quibus Cælestis Hospes cum sua festiuitate adest;
Stabilis futura amicitiæ vestræ fides,
Quando annulo Sancti Piscatoris obsignatur:
Et Doctoris annulus
Ad annulum Apostoli positus splendidius radiat.
Fortunæ fulmina nil timete;

Filius tonitrui

Simulachra aduersitatum nouit subruere.

Si Consilijs opus est
Consiliarius à CHRISTO electus,
Bene de rebus vestris consulet.

Do

Do Oblubienice.

WYchodź z progow domowych cna Oblubienico,
Oká Máćierzynſkiego koſztowna źrzenico;
Wychodz ochotnie wonny kwiateczku Oycowſki,
Ciebie Reynekkerowi Ogrod Pernuſowſki
Wydał, y teſkni, miłey pozbywſzy ozdoby,
Niepoſpolitey między kwiatkámi vrody.
Rownaſz ſię purpurowym wſtydem twoim Roży,
Dobrze káżdy o wnętrzney z tąd pięknośći wroży:
Nie ták nátura wonną roże przyſtroiłá,
Y nie ták doſkonále fárbę vpráwiłá,
Iáko cnotá Pánieńſką twarz twoię máluie,
Ktorey promień ſłoneczny nigdy nie zmázuie:
Purpurá źiemſkiey roży od ſłońcá więdnieie,
Y kwiát od vpalenia wielkiego czernieie;
Rożánego źielone wſtydu liſtki bronią,
PERNVSOWSKI napełniaſz Ogrod wdźięczną wonią.
Liliową przed niebem iáśnieieſz ſlicznośćią,
Gdy czoło twoie zdobiſz Pánieńſką ſkromnośćią:
Chwalebna w ſwey Kśiązęcey Lilia białośći,
Pláć iednák otrzymuie ozdobá czyſtośći,
Kwiát ten bowiem ná polách rodzi ſię niebieſkich,
Lilia ná págorkách y w ogrodách źiemſkich:
Ziemſki ſádzi ogrodnik wiednieiące Roze,
A niebieſki ktoremu zrovvnáć nikt nie moze
Szczepi czyſte Pánieńſtwá, á roſą ſwoiego
Błogoſłáwieńſtwá ſkrapia nie vſtáiącego,

Ktorym promień gorący nie ſzkodzi słoneczny,
Ani wyſuſzáiący kvviáty vviatr pulnocny.
Fijalkowiś podobna chwalebna ſkromnośćią,
Obyczáiovv powaznych vvielką doſtoynośćią.
Niechże ten wdzięczny krzaczek nieśmiertelny będzie,
Niech mu ozdoby z Niebá tym vvięcey przybędzie:
Kvvitniy Bogu ná chvvałę, Zacnemu Domovvi
Ku poćieſze trvváiącey, á Reinekkerovvi
Ná ozdobę, słavvnemu vv Mieśćie Doktorovvi,
Iedyney ſercá tvvego perle Małżonkovvi.